UNIVERSITAS GALLICA. FACULTAS LITTERARUM IN ACADEMIA CADOMENSI. THESIS PHILOSOPHICA...

François-Gabriel Bertrand, Giorgio Enrico Levi


ARMI E DVELLI
EX LIBRIS
DI
GIORGIO ENRICO LEVI

UNIVERSITAS GALLICA.

FACULTAS LITTERARUM

IN ACADEMIA CADOMENSI.

THESIS PHILOSOPHICA

PROPTER DOCTORATUM.

DE

SINGULARI CERTAMINE

QUOD VULGO

DUELLUM NUNCUPATUR.

Decipimur specie recti.
(Hor. *de Art. poet.*)

CADOMI,
E TYPIS T. CHALOPIN, ACADEMIÆ
TYPOGRAPHUM.

1829.

DE

SINGULARI CERTAMINE

QUOD VULGO

DUELLUM NUNCUPATUR.

Quod hominum historia dicitur, non rarò est errorum immaniumque factorum longa variaque enarratio, et humanæ stultitiæ monumentum: nihil verò in eâ tàm ineptum tàmque barbarum, nostro quidem judicio, reperiri potest, quàm mos iste quo res privatæ ac civium propriæ ad mucrones et manus adducuntur, in illis quæ *duella* nuncupantur certaminibus. Quis enim credat, nisi hoc communi omnium experientiâ notissimum certissimumque fiat, illum virum ignominiâ atque dedecore afficiendum esse, qui, dùm hæc viget morum urbanitas et elegantia, quâ tàm superbè gloriamur, offensiunculam suo aut civis sui sanguine vindicare non ultrò proposuerit aut recusaverit? Mirum sanè spectaculum, quòd ista insana opinio non religionem modò, sed etiam rationem irrideat, simulque temporis hujus disciplinam atque huma-

nitatem ; quòdque, conscientiâ potentior, hos ipsos plerùmque ad scelus atque perniciem, quasi invitos ac reluctantes, trahat, qui, quàm sibimet illa atrox et ridicula videatur, confiteri non dubitant. Sic, dùm omnes ferè consentiunt illam omnibus divinis humanisque legibus esse adversam, multi tamen quâdam fortitudinis animique magni specie decipiuntur, atque mens eorum inter sanctissimas leges vanamque opinionem, inter verum officium falsumque honorem incerta et dubia pendet.

Undè natus est error iste qui hanc funestam gloriæ opinionem *duellis* affinxit? Quid causæ est cur ità invaluerit atque increbuerit? Num homines illum sine crimine, salvâque conscientiâ, admittere possunt? Aut *duellum* saltem ultionis explendæ honorisve recuperandi certa rationique consentanea via est? Quarum questionum haud certè minimi est momenti consideratio ; siquidem sive originis feritatem atque stultitiam, sive legum omnium divinarum humanarumque contemptionem, sive ambiguum, quod ad vindictam honorisve recuperationem attinet, certaminis exitum perpenderint animi, eò longiùs ab isto more abhorrebunt, quò magis res penitùs perspecta planèque cognita fuerit.

Duellorum originem apud populos optimis le-

gibus instructos litterarumque studio florentes non est reperire. Nunquàm excogitârunt Athenienses aut Romani aliquid in hoc inesse decoris, si quis ut injurias suas persequatur, leges contemnat publicas, vel si, ut acceptam injuriam vindicet, periculum adeat mortis insuper accipiendæ ab eo qui jàm ipsum affecerit contumeliâ.

Nemo est qui non audierit hoc Themistoclis verbum, cui baculum minatus erat Eurybiades: « Percute, sed audi. » Ac dùm omnes in illius moderationis laude consentiunt, hoc sanè nobis haud ambiguum videtur testimonium, plùs gloriæ, injuriam contemnendo, Themistoclem acquisivisse, quàm si, graviùs offensionem ferens, illam armis in singulari certamine vindicasset.

Socrates, cùm alapam accepisset, ab homine injurioso vindictam non exegisse, nihilque ampliùs dixisse fertur quàm *molestum esse quòd nescirent homines quandò cum galeâ prodire deberent*. Ac ne quis fortassè subjiciat illum fuisse philosophum, sapientiamque et fortitudinem non necessario et indissolubili nexu esse conjunctas, in memoriam revocet impavidi fortisque animi Socratem apud Potideam ac Delium specimina dedisse. . .

Nulla gens unquàm honori bellico ac militari fideliùs inserviit quàm populus romanus; nusquàm

tamen legimus privatas inimicitias apud Romanos singularibus certaminibus locum dedisse. Cùm in extremis reipublicæ temporibus, Antonius Augusto proposuisset ut illâ ratione suæ ipsorum contentioni finem imponerent, hic ludibrio provocationem habuit, atque responsum dedit, se, si vitæ tædium iniret, nosse viam quâ lucem invisam facilè relinqueret : quod Augusti dictum sani prudentisque viri est habitum et comprobatum, dùm Antonii provocatio desperationis indicium omnibus fuit (1).

Hæc itaque opinio, honorem scilicet singulari ac propè gladiatoriâ pugnâ defendi aut recuperari posse, non solùm non viguit, sed etiam fuit ignota apud populos maximè inter veteres humanitate ac omni disciplinarum genere politos ; nec ullo constat exemplo hunc impium ferumque mo-

(1) « Cherchez si l'on vit un seul appel sur la terre quand elle était couverte de héros. Les plus vaillants hommes de l'antiquité songèrent-ils jamais à venger leurs injures personnelles par les combats particuliers ? César envoya-t-il un cartel à Caton, ou Pompée à César, pour tant d'affronts réciproques ? Et le plus grand capitaine de la Grèce fut-il déshonoré pour s'être laissé menacer du bâton ?.....

« Si les peuples les plus éclairés, les plus braves, les plus vertueux de la terre n'ont point connu le duel, je dis qu'il n'est point une institution de l'honneur, mais une mode affreuse et barbare, digne de sa féroce origine. »

J. J. Rousseau.

rem apud Hebræos, aut Phœnices, aut Ægyptios, aut Carthaginienses, aut apud alias illorum temporum gentes ac nationes, ab historicis celebratas, unquàm extitisse.

Pestis hujus, quæ tot vulnerum, tot cædium totque lacrymarum causa fuit, principium atque originem si repetamus, quasdam gentes immanitate barbaras adire debemus, quæ à septentrionalibus Europæ partibus profectæ, ut cœlo minùs aspero campisque felicioribus uterentur, suam feritatem intulerunt suosque mores in has regiones soli propiores, quibus simul, non sine vastationibus et ruinis multoque fuso sanguine, tenebras obduxerunt. Quos inter homines immoderata feroxque vigebat libertas, nec tàm firmæ leges erant, nec tàm certa ducum aut principum auctoritas, quàm ut frænarentur iræ et libidines, militarisque disciplina servaretur. Pro virtute et gloriâ vim efferam habebant; ignaviaque eis vitiorum omnium, mortis verò contemptio maximarum pulcherrimarumque virtutum, haud dubium erat argumentum. Indè fama atque laudes illi tribuebantur, qui se fortiter ab inimico vindicaverat, dùm sibi turpitudinis notam inussisset, si non armis repulisset injuriam.

Quin etiam scelerum quoque participes, leges ipsæ (si modò fas est hoc nomine dicere instituta

tàm fera, tàmque à ratione aversa), istos apud homines incultos, singularia certamina suâ haud semel auctoritate sanxerunt, illosque affecerunt infamiâ, qui, periculum declinantes, illatas sibi injurias ferro ac sanguine delere recusaverant. « La coutume barbare », inquit Præses Hénault, « de se faire justice à soi-même et d'associer toute « sa famille à sa vengeance, était passée de la « Germanie dans les Gaules, et elle s'y conserva « pendant plus de 600 ans. Les Français unique- « ment élevés dans la profession des armes, et « jaloux de leur liberté, ne pouvaient se ré- « soudre à renoncer à un usage qu'ils regardaient « comme le privilège de la noblesse et comme le « caractère de leur indépendance. Il faut remar- « quer que, si quelqu'un de la famille offensée « trouvait la poursuite et la vengeance des torts « trop dangereuses, la loi Salique lui permettait « de se désister publiquement de cette guerre « particulière ; mais aussi la même loi le privait « du droit de succession, comme étant devenu « étranger dans sa propre famille, et en punition « de son peu de courage : loi étrange et cruelle « qui entretenait la férocité d'un nation, ou plu- « tôt qui en était la suite. » (1)

Omnibus facilè est perspicuum quot cædes

(1) Ex his, quæ sequuntur, Velleii Paterculi verbis, constat mo-

quantaque in societate exorta sit perturbatio ex illâ odiorum et ultionum effrenatâ licentiâ, atque ex illis insuper legibus quæ sanè hàc ipsâ haud meliores erant licentiâ; siquidem eam, ex quâ ducebant originem, immanitatem, præscriptam et in tabulas redactam habebant. Quid autem si feritati hominum legumque pravitati vim novam superstitio vana adjiciat, atque sacrà religionis auctoritate abutatur ad istum morem confirmandum à quo maximè abhorret religio?

Quùm primùm Francis et Germanis documenta sancta, sanctasque leges Christiana fides intulit, non subitò inter tàm sævos animi motus tantamque ferocitatem, vox divina planè est intellecta, nec statim gentium illarum mores in melius mutati, qui tàm longâ consuetudine invaluerant. Priscorum temporum feritas ac ignorantia Christianæ

rem usitatum Germanis fuisse lites atque contentiones privatis armis dirimere:

« ... At illi (Germani), quod nisi expertus vix credat, in summâ « feritate versutissimi, natumque mendacio genus, simulantes « fictas litium series, et nunc provocantes alter alterum injuriâ, « nunc agentes gratias, quòd ea Romana justitia finiret, feritas- « que suâ novitate incognitæ disciplinæ mitesceret, et *solita armis* « *decerni* jure terminarentur, in summam socordiam perduxere « Quintilium, usque eò, ut se prætorem urbanum in foro jus di- « cere, non in mediis Germaniæ finibus exercitui præesse cre- « deret. »

(*Lib. II, cap. CXVIII.*)

mansuetudini revelationisque et litterarum lumini diù repugnârunt : ac sæpiùs, illos inter populos si versatus esses, eorumque opiniones aut facta perpendisses, res fuisset dubia utrùm adhùc deorum crudelium, an Christi cultores tibi antè oculos essent. Quemadmodùm enim, in quibusdam corporis affectibus, alimenta, quæ vulgò sunt maximè salubria, crudescunt et quasi in venenum vertuntur, aut etiam mox acescit quidquid in vas impurum infunditur ; sic apud eos sanctissima dogmata pravissimis haud semel libidinibus insanissimisque opinionibus adjumento fuerunt. Itaque dùm illis, justissimâ quidem non sine causâ, constaret Deum omnibus, quæ in quâlibet mundi parte aguntur, invigilare, omniaque constanti prudentiâ gubernare ac moderari, nedùm, illo invito aut inscio, aliquid evenire possit, persuasum simul habuêre certaminis exitum rationem esse certissimam quâ jus incertum probaretur, atque omnibus manifesta fieret innocentia ; nunquàm scilicet concessurum esse Numen ut prævaleret iniquitas, homove nefarius, insonte oppresso partâque victoriâ, insolentiùs exultaret : atque ità amorum via, quæ anteà ex moribus privatæ ultioni patebat, mox ex illâ malè sanâ superstitione, argumentis legitimis annumerata fuit, frequenterque à magistratibus præscripta, et magno ap-

paratu adhibita, quibusdam cum formulis et ritibus auctoritate publicâ constitutis (1).

Quùm sic *duella*, tùm è pristinâ feritate, tùm è vanâ religione legibusque insanis, increbuissent, alia insuper causa non modò morem istum continuavit ac firmavit, sed etiam pugnis singularibus decus novum addidit, institutio scilicet ordinis Equitum, qui, alia inter officia, legum et magistratuum vicem usurpantes, sibi, jurejurando adhibito, necessitatem imponebant à viduis et pupillis injuriam propulsandi; quique haud rarò, quid justum, aut quid non, minimè perpendentes, passimque fortitudinis specimina præbendi quærentes opportunitatem, gloriam solummodò affectabant quæ victoriâ comparatur. Hinc illi apparatus pugnæque ludicræ, in quibus, coràm populo, principumque adstante coronâ, non,

(1) Simili ratione Germani, priusquam etiam eis Christiana fides nota esset, gravium bellorum eventus explorabant, quod ex hoc Taciti loco patet :

« Ejus gentis, cum quâ bellum est, captivum quoquo modo in« terceptum, cum electo popularium suorum, patriis quemque « armis committunt : victoria hujus vel illius, pro præjudicio « accipitur. » (*De Germaniâ.*)

« Des peuples qui croyaient que le combat singulier réglerait les affaires publiques, pouvaient bien penser qu'il pourrait encore regler les différents des particuliers. »

(MONTESQUIEU, *esprit des lois.*)

sicuti apud Romanos, servi et infimæ plebis homines, contrà verò nobilissimi viri, vitæ cum periculo dimicabant; hinc illæ Equitum inter se provocationes, nullo sæpius impellente stimulo, nisi ut experirentur vires et solertiam, atque famâ virtutis eximiæ laudibusque poetarum et fœminarum potirentur. Sicque, quùm jàm minùs feroces animi, atque, haud minimâ certè, cæteris de rebus, humanitate politi, temperarentur ac mansuescerent, non ideò magis à civium sanguine abhorrebant; quùmque, suâpte immoderatâ gloriæ aviditate impulsi, nullâ etiam offensione interpositâ, ad arma ruerent, multò ad illa promptiores erant, si quos ad iracundiam offensa vel levissima concitasset.

Frustrà philosophiæ litterarumque lumen hisce tandem Europæ partibus illuxit, religioque rectiùs intellecta, illos anathemate feriit qui, privatarum inimicitiarum causâ, singularis pugnæ discrimen inirent; frustrà plurimi reges, pœnas gravissimas contrà pugnantes sanciendo, huic pesti obsistere tentârunt, quæ quotannis juventutis florem depopulabatur. Divinarum humanarumque legum infirmiora fuerunt auxilia; plus valuit falsa honoris opinio apud populos bellicosos honorisque amantissimos; atque, dùm victæ compressæque non exaudirentur sapientium voces,

vindictæ ultionisque præcepta, poetarum quoque celebrata carminibus (1), omnibus ferè accepta fuerunt et comprobata.

(1) « D. Diègue.

Rodrigue, as-tu du cœur ?

D. Rodrigue.

Tout autre que mon père
L'éprouverait sur l'heure.

D. Diègue.

Agréable colère !
Digne ressentiment à ma douleur bien doux !
Je reconnais mon sang à ce noble courroux :
Ma jeunesse revit en cette ardeur si prompte.
Viens, mon fils, viens mon sang, viens réparer ma honte,
Viens me venger.

D. Rodrigue.

De quoi ?

D. Diègue.

D'un affront si cruel
Qu'à l'honneur de tous deux il porte un coup mortel ;
D'un soufflet. L'insolent en eût perdu la vie,
Mais mon âge a trompé ma généreuse envie ;
Et ce fer, que mon bras ne peut plus soutenir,
Je le remets au tien pour venger et punir.
Va contre un arrogant éprouver ton courage :
Ce n'est que dans le sang qu'on lave un tel outrage.
Meurs ou tue. » (*Le Cid.*)

« La tragédie du Cid a infiniment retardé les progrès de la raison. On y assiste dès l'enfance ; on la lit dès qu'on connaît les lettres ; on voit tous les personnages de ce beau poëme parler du duel avec estime et même comme d'une nécessité dès qu'on a reçu une injure ; on y voit même le roi l'approuver, et, ce qui pis est, le permettre. Des jeunes gens se remplissent de ces idées

Quæ quùm ità sint, talibusque *duellum* exortum sit principiis (1), illud, ex ipsâ originis consideratione, reprehendere et vituperio improbare non dubitaverimus; quippè quod, post-

extravagantes; ils s'accoutument à les regarder comme les seules vraies, et l'impression dure autant que la vie. »

(*Note de l'auteur du Traité sur l'état des personnes et la condition des terres dans les Gaules, etc.*),

(1) Aliis causis ex quibus perspici potest cur duellorum usus ita apud Gallos invaluerit, hæc, quæ sequitur, ab auctore, qui de re copiosè disseruit, seriò graviterque est annumerata.

« Les astrologues nous font voir dans leurs éphémérides mathé- « matiques la raison pour laquelle les Français sont portés à se « battre de la sorte plus facilement que les autres nations. C'est « que Mars domine sur la France au signe du Bélier, et tout « ainsi que les béliers se tirent à part du troupeau pour s'entre- « heurter, de même les Français, pour le moindre sujet du « monde, s'entrechoquent facilement.

« Cette même influence et inclination naturelle est cause qu'on « leur a donné le nom de GALLI, à cause de cette sympathie « qu'ils ont avec l'humeur guerrière des coqs, qui se battent très- « souvent en duel, et qui sont comme les Français très-hardis et « très-courageux. Et, afin que cette conformité d'humeur parût « davantage, nos seuls Gaulois portèrent de grandes crêtes d'a- « cier sur leurs habillements de tête, en forme de cimier, d'où « vient que les autres nations les appellent *Galli cristati*. Et comme « les coqs ont cette vertu naturelle d'intimider par leur présence « et par leurs chants les plus courageux lions, et de leur donner « la fuite; ainsi nos Français, dont ils sont le plus véritable in- « tersigne, ont souvent chassé par leur courage invincible les « lions d'Espagne et les léopards d'Angleterre. »

(*Le vrai théâtre d'honneur et de chevalerie, par le sieur de La Colombière. 2 vol. in-folio. Paris* 1658.)

quàm apud veteres populos qui maximè auctoritate præstant omninò fuit ignotum, immanissimam primùm inter barbariem ac ferocitatem apparuit, ineptissimæ deindè superstitioni insanissimisque legibus instrumentum fuit, laudesque præsertìm obtinuit in illis temporibus, quùm vis corporis atque armorum solertia non solùm ingenii dotibus, sed etiam æquo justoque prævalebant.

Rem verò si penitùs consideraverimus, originisque neglectâ feritate, perpenderimus, multò gravioribus apertioribusque de causis *duellum* nobis erit improbandum, quùm à conscientiâ, et omnibus legibus queis nititur ac devincitur humana societas, communique etiam judicio (hanc si ultionis viam æstimemus), abhorreat, atque insuper quàm longissimè distet alienumque sit à vero honore, cujus specie generosissimus et honestissimus quisque facillimè decipitur.

Quæcumque contra homicidium mortemque voluntariam vulgò jaciuntur, hæc jure ac meritò, quùm de singulari certamine agitur, adhibentur argumenta; quandoquidem ille, qui hâc viâ utitur ut ulciscatur injuriam, in utrumque est paratus, seu mortem inimico afferre, seu ipse victus occumbere, si non, quod aliquandò

accidit, corruant ambo mutuis confossi vulneribus (1).

Nulli fas est propriam aut hominis cujuslibet animam ad suum arbitrium effundere. Non se ipse creavit homo et animavit. Vita illi à Deo fuit concessa, non sanè eà lege ut eam, quo tempore quoque vellet modo, abjiceret, aut, perindè ac injussus miles stationem quam servandam ab imperatore accepit, ultrò relinqueret; sed ut constanter divinis, quantùm in se est, inserviret consiliis, officiisque fungeretur quæ naturà præscripta sunt. Nemo item, nisi de suà aut reipublicæ salute agatur, vitam alienam delere potest, siquidem non solùm in hoc jus Numinis usurpat, sed etiam hanc apertissimè atque atrocissimè violat legem quæ omnibus in corde innata vivit, « quod tibi fieri non vis, « alteri ne feceris. » Quid enim homini vità pretiosius eripiatur, quam amissam nemini recuperare licet (2)?

(1) « Il y a, je l'avoue, une autre sorte d'affaire où la gentillesse se mêle à la cruauté, et où l'on ne tue les gens que par hasard; c'est celle où l'on se bat au premier sang. Au premier sang! Grand Dieu! Et qu'en veux-tu faire de ce sang, bête féroce? le veux-tu boire? » *J. J. Rousseau.*

(2) « Rentrez donc en vous-même, et considérez s'il vous est permis d'attaquer de propos délibéré la vie d'un homme, et

Præterea cuilibet diligenter attendenti quid homo societati humanæ debeat, facile est intelligere vitam civis non suam esse, verùm patriæ quæ illum nascentem excepit fovitque et educavit, atque, sicut alma parens, contra pericula omnia quotidiè defendit, quæque, quùm hostes adsunt aut facinus aliquod factiosi meditantur, ab universis illud jure repetit auxilium quod ab ipsâ singuli acceperunt. Qui igitur in singulari certamine ipse occumbit aut quemvis de medio tollit civem, furtum reipublicæ facit, gravissimumque ei damnum affert, siquidem illa civis vel unius morte utcumquè debilitatur, cujus sanguis meliùs propter patriæ salutem communemque utilitatem fuisset effusus.

Civium sanguine parcè utitur patria, quorum in numero, virtute et ingenio suas vires scit esse positas; nec illos in pericula vocat, nisi quùm

d'exposer la vôtre pour satisfaire une barbare et dangereuse fantaisie qui n'a nul fondement raisonnable, et si le triste souvenir du sang versé dans une pareille occasion peut cesser de crier vengeance au fond du cœur de celui qui l'a fait couler. Connaissez-vous aucun crime égal à l'homicide volontaire? Et, si la base de toutes les vertus est l'humanité, que penserons-nous de l'homme sanguinaire et dépravé qui l'ose attaquer dans la vie de son semblable? Avez-vous oublié que le citoyen doit sa vie à la patrie, et n'a pas le droit d'en disposer sans le congé des lois, à plu forte raison contre leur défense?

J. J. R.

de summâ imperii libertate aut gloriâ agitur, aut quùm paucis amissis populus universus est redimendus. Si quem leges morte mulctant, publicæ tùm saluti consulunt; nec nisi qui nefarium admisit scelus, pœnas capite expendit. Quibus autem sæpiùs tàm gravibus de causis, ab eo qui laudem è pugnis singularibus sibi vindicat, trucidatur civis atque reipublicæ eripitur? Si quid jocosè ac temerè dictum est, aut in gestu vel in sono vocis apparuit insolentius; aut si qua forsan de vili scorto exorta est contentio: en arma parantur; cruore pretiosissimo solum imbuitur patrium, atque sanctissima jura, ineptissima propter jurgia, perfringuntur pedibusque conculcantur.

Ille sanè legibus omniumque bonorum sententiâ est notandus, qui, quùm res postulat, non in rempublicam officia confert, communisque oneris partem declinat: quâ autem notâ inurendus erit, si quis non modò nulla per se in patriam contulit officia, sed etiam illam defensoribus orbatam facit? Nonne cum hostibus quamdam impiam societatem init, illisque annumerandus est? Nonne meritò proditor est habendus, eâdemque ratione puniendus?

Duellorum quoties furorem istum tàm dirum tàmque funestum hæc Gallia nostra exsecrata est, quùm passim sanguine natorum conspersa,

qui sic dextris fraternis occubuerant, aut externa reformidaret pericula, aut partas jàm propè defleret victorias, quas pax tàm cruenta consequebatur! Quoties contrà, Gallorum viribus et fortitudine oppressi, gaudio exultârunt hostes; quùm sibi compertum esset victores, cæcâ rabie percitos, proprio sanguine victis inferias dare, atque plus detrimenti in illis inter sese pugnis accipere, quàm si ipsi in prælio fusi essent (1)!

Non verò in eo solùm *duello* respublica læditur, quòd cives amittit, atque adversùs hostes fit debilior, sed in hoc insuper quòd violantur leges quæ ad civium reique publicæ incolumitatem sunt conditæ, quarumque ex observatione omnium salus omninò pendet. Leges enim non immeritò dixerimus muros et fundamenta civitatum, in quibus boni quàm tutissimè habitant, aut saltem à nullo vim impunè injuriamve patiuntur; dùm contrà arcentur mali, aut pœnis afficiuntur, aut metu supplicii continentur. Quòd in summo nos otio, in summâ tranquillitate, in summâ libertate vitam degimus; quòd suæ unicuique fortunæ, domus, agri, honor, dignitas, corpus animaque servatur; quòd non uxor ma-

(1) Legimus non minùs quàm quatuor millia virorum nobilium, decem et octo annorum spatio, Henrico quarto regnante, pugnis singularibus in Galliâ fuisse consumptos.

rito, nec virgo parentibus eripitur, id totum est juris ac legum defensioni tribuendum: quibus sublatis, unà solvitur humana societas, hominibusque pereunt tot et tanta commoda quæ ex eâ nascuntur.

Quùm igitur talia sint legùm erga rempublicam atque cives beneficia, haud sanè nobis erit mirandum si non modò omnium ætatum sapientes illum esse nocentissimum existimaverint qui contemnit eas, sed etiam nonnulli sint arbitrati (quod tamen ambiguum confitemur) civi nefas esse legum imperio se subducere, vel si suis privatis commodis iniquæ videantur atque re ipsâ sint : quorum in numero Socrates præceptum exemplumque simul dedit, qui, quamvis injustâ morte damnatus, è vinculis publicis effugere, quùm via ab amicis esset parata, noluit (1). Porrò qui privatas injurias armis ulcis-

(1) ... « Criton lui (à Socrate) représenta que, ne pouvant supporter l'idée de le perdre, il avait, avec quelques amis, pris la résolution de le tirer de la prison ; que les mesures étaient concertées pour la nuit suivante ; qu'une légère somme leur suffirait pour corrompre les gardes et imposer silence à leurs accusateurs ; qu'on lui ménagerait en Thessalie une retraite honorable et une vie tranquille; qu'il ne pouvait se refuser à leurs prières sans se trahir lui-même, sans trahir ses enfans, qu'il laisserait dans le besoin, sans trahir ses amis, auxquels on reprocherait à jamais

citur, neque paucas aut minimi fortassè momenti leges perrumpit, neque à ratione vel

de n'avoir pas sacrifié tous leurs biens pour lui sauver la vie (1).

« Oh! mon cher Criton, répondit Socrate, votre zèle n'est « pas conforme aux principes que j'ai toujours fait profession de « suivre, et que les plus rigoureux tourmens ne me forceront ja- « mais d'abandonner (2).

« Il faut écarter d'abord les reproches que vous craignez de la « part des hommes : vous savez que ce n'est pas à l'opinion du « grand nombre qu'il faut s'en rapporter, mais à la décision de « celui qui discerne le juste de l'injuste, et qui n'est autre que la « vérité (3). Il faut écarter aussi les alarmes que vous tâchez de « m'inspirer à l'égard de mes enfans : ils recevront de mes amis « les services que leur générosité m'offre aujourd'hui (4). Ainsi, « toute la question est de savoir s'il est conforme à la justice que « je quitte ces lieux sans la permission des Athéniens (5).

« Ne sommes-nous pas convenus souvent que, dans aucune « circonstance, il n'est permis de rendre injustice pour injus- « tice (6)? N'avons-nous pas reconnu encore que le premier « devoir du citoyen est d'obéir aux lois, sans qu'aucun prétexte « puisse l'en dispenser? Or, ne serait-ce pas leur ôter toute leur « force et les anéantir, que de s'opposer à leur exécution? Si « j'avais à m'en plaindre, j'étais libre; il dépendait de moi de « passer en d'autres climats (7): mais j'ai porté jusqu'à présent leur « joug avec plaisir; j'ai mille fois éprouvé les effets de leur pro- « tection et de leur bienfaisance; et, parce que des hommes en « ont abusé pour me perdre, vous voulez que, pour me venger « d'eux, je détruise les lois, et que je conspire contre ma patrie, « dont elles sont le soutien!... »

(Barthélemy, *voyage d'Anach.*)

---

(1) Plat. in Crit., t. 1, p. 44.—(2) Id. ibidem, p. 46. Xenoph. in apol., p. 705. — (3) Plat. in Crit., t. 1, p. 48.— (4) Id. ibid., p. 54. — (5) Id. ibid., p. 48. — (6) Id. ibid., p. 49. — (7) Plat. in Crit., t. 1, p. 51.

æquitate aversas ; plurimas verò maximèque necessarias , atque tùm rationi , tùm æquitati consentaneas.

Ab illis temporibus quùm effrenata vigeret licentia, atque pro suo quisque jure se ab inimico vindicaret, vel potiùs quùm nulla ferè jura nisi vis et audacia essent, explicatè et distinctè legibus vetitum fuit, ne cui , nisi præsens adsit violentia, injuriam ulcisci liceat. Quamdiù etiam pugna singularis argumentum legitimum ad jus incertum probandum est habita , illi qui septo ad certamen campo se inferebant, jurejurando affirmare cogebantur se nullo odio , nullâve ulciscendi cupiditate ad arma impelli , seque eâ solummodò ratione esse pugnaturos ut hoc omnibus notum fieret, uter æquum bonumque in causâ haberet : quod sanè haud dubium nobis est indicium privatam ultionem , *duellumque* privatæ ultionis instrumentum , jàm tunc improbatum ac vetitum fuisse. Quis autem omnia contra *duellum* regum magistratuumque decreta enumerare valeret ? quis ex ipsâ pœnarum gravitate, quæ contra rebellantes sancitæ fuerunt , non facilè perciperet quàm reipublicæ perniciosa luctuosaque pestis ista legislatoribus visa fue-

rit (1)? Quanquàm nullum adhùc nominatìm de *duello* verbum in novo Codice Gallicano sit

(1) « Le dernier duel qui fut autorisé publiquement, fut le combat qui se fit, en 1547, entre Guy Chabut, fils du sieur de Jarnac, et François de Vivonne, sieur de la Chataigneraye : ce fut à St.-Germain-en-Laye, en présence du Roi et de toute la cour. Vivonne y fut blessé, et mourut de ses blessures. Le roi Henri II fit dès ce moment vœu de ne plus permettre les duels.

« L'édit de 1569 ordonna que nul ne pourrait poursuivre au sceau l'expédition d'aucune grâce où il y aurait soupçon de duel ou rencontre préméditée, qu'il ne fût actuellement prisonnier.

« L'ordonnance de Blois renouvela les défenses faites précédemment contre les duels, et défendit d'expédier pour ces cas aucunes lettres de grâce...

« Le parlement de Paris les défendit aussi sévèrement, comme on voit par un arrêt de la Tournelle du 26 juin 1599...

« Les défenses contre les duels furent renouvelées par Henri IV, en 1609 : par Louis XIII, en 1611, 1613, 1614, 1617; par un édit du mois d'août 1623, et une déclaration du 26 juin 1624, une autre de 1626, et un réglement du mois de mai 1634.

Mais toutes ces lois multipliées furent sans aucun fruit jusqu'au temps de Louis XIV, qui défendit les duels encore plus rigoureusement que ses prédécesseurs, et tint la main à l'exécution des réglemens, comme on voit par ses édits de 1643 et de 1651 ; par l'ordonnance de 1670, et par plusieurs déclarations des mois d'août 1679, décembre 1704, et 28 decembre 1711.

« La déclaration du mois d'août 1679 peut être regardee comme le siége de la matière, étant le réglement le plus ample, et les autres réglemens postérieurs ne servant que d'explication à celui-ci. Entre autres dispositions de cette déclaration : Si l'appelant et l'appelé en viennent au combat, encore qu'il n'y ait aucun de blessé ni tué, le procès leur sera fait ; ils seront punis de mort ; leurs biens meubles et immeubles seront confisqués... Le procès doit aussi être fait aux morts, et leurs corps privés de la sépulture ecclésiastique...

scriptum, nemo sanè dubitat quin illud legibus nostris omninò sit adversum, quæ homicidam morte mulctant (1); quùm in primis, ex illis

« Ceux qui, se défiant de leur courage, auront appelé des seconds, tiers ou un plus grand nombre de personnes, outre la peine de mort et de confiscation, seront dégradés de noblesse; leurs armes seront noircies et brisées publiquement par l'exécuteur de la haute justice. Les seconds, tiers ou autres assistans seront punis des mêmes peines.

« Les domestiques et autres, qui portent sciemment des billets d'appel ou qui conduisent au lieu du duel, sont punis du fouet et de la fleur-de-lys pour la première fois, et en cas de récidive, des galères perpétuelles.

« Enfin le Roi, par cette déclaration, promet, foi de roi, de n'accorder aucune grâce pour duel et rencontre, sans qu'aucune circonstance de mariage ou naissance de prince, ou autre considération, puisse y faire déroger. »

(*Encyclopédie*, *duel.*)

(1) « Vous vous demandez peut-être, Messieurs, pourquoi les auteurs du projet de loi n'ont pas désigné particulièrement un attentat aux personnes, trop malheureusement connu sous le nom de *duel*; c'est qu'il se trouve compris dans les dispositions générales qui vous sont soumises.....

« Le projet n'a pas dû particulariser une espèce qui est comprise dans un genre dont il donne les caractères.

« Si la mort est le résultat de la défense à une irruption inopinée, à une provocation soudaine et à main armée, elle peut, suivant les circonstances et la vivacité de l'agression, être classée parmi les crimes légitimes et excusables.

« Si le duel a suivi immédiatement des menaces, des jactances, des injures; si les combattans ont pu être entraînés par l'emportement de la passion; s'ils ont agi dans l'ébullition de la colère, ils seront classés parmi les meurtriers.

« Mais si les coupables ont médité, projeté, arrêté à l'avance cet étrange combat; si la raison a pu se faire entendre, et s'ils

quibus respublica nititur principiis, nulli fas esse potest ab inimico vi propriâ pœnas expetere, nisi cuncta simul in societate misceantur ac perturbentur, nullæque leges ampliùs nullaque ferè existat societas.

Quid si, à publici detrimenti consideratione deflectentes oculos, domestica mala, quæ ex *duellis* oriuntur, attenderimus? Quàm tristia per domos mentem percellunt spectacula! Quot gemitus! quot lacrymæ, quàmque amaræ et inexhaustæ hæc impia certamina sequuntur! Hìnc

ont méconnu sa voix, et au mépris de l'autorité, cherché dans une arme homicide la punition qu'ils ne devaient attendre que du glaive de la loi, ils seront assassins.

« En vain voudrait-on invoquer une convention entre les duellistes, et la réciprocité des chances qu'ils ont voulu courir dans une action, qui le plus souvent n'offre de la volonté que les apparences. Et comment d'ailleurs chercher un usage légitime de la liberté dans l'horrible alternative de se faire égorger ou de donner la mort! Sans doute, une fausse opinion cerne et protège les coupables; elle les égare et les excite par une méprise d'idées sur la bravoure, l'honneur et la vengeance; et cette fausse opinion parvient peut-être à leur persuader qu'il est ignoble d'attendre de la marche lente et grave de la justice, la réparation d'un outrage, et qu'on ne doit porter aux tribunaux que les contestations qui prennent leur source dans des intérêts pécuniaires. La loi ne saurait transiger avec un aussi absurde préjugé; et cependant l'extirpation de ce préjugé a, depuis long-temps, échappé à la puissance du législateur. »

(Rapport fait au Corps Législatif le 17 février 1811 par M. Monseignat, membre de la commission de législation, sur la loi contenant le chapitre I du titre II du Code des Délits et des Peines.)

uxor, lamento luctuque jacens, conjugem queritur occisum, dirasque desperata interfectori deprecatur : illinc nati, primo adhùc in vitæ limine, jàmque omni præsidio destituti, patrem, heu ! frustrà vocant, cujus inter amplexus blandaque oscula puerilibus ludis tàm hilari indulgere animo, aut tam molliter quiescere solebant : dùm intereà infelicissimi fortassè parentes suam juvenisque simul interempti sortem acerbam lugent, quìcum spes lætissimæ, in flore quasi recisæ, jacuerunt.

Consolationem haud minimam saltem liberis parentibusque relinquit casus eorum qui, pro patriâ pugnantes, fortiter occubuerunt; illisque mortis tàm gloriosæ cogitatio ægritudinem levat fletusque paulatìm abstergit. Si quis etiam morbo aut aliâ ratione quâlibet ante diem absumitur, parentibus atque propinquis quædam subit quoque voluntatis humanæ cum divinâ consensio, Numinisque religiosa veneratio, quod mortalibus spiritum nutu et arbitrio dat aut adimit, quodque vitam fluxam et caducam omnique calamitatum genere plenam æternâ felicitate permutare potest. Quid autem solatii restat miseris in hâc dirâ orbitate quam *duella* afferunt, ubi, quocumquè se convertant, seu ipsam orbitatem mortisque genus, seu facti crimen atque ex omnium

legum contemptu dedecus oriundum intueantur, nihil sibi relictum vident præter amarum sub corde mœrorem, fletusque in omni vitâ sempiternos?

Illa verò divinarum atque publicarum domesticarumque legum impia contemptio, etiam si humanæ siluerint leges aut cætera nocens effugerit supplicia, non impunè dimittitur; neque mors ambigua sola pœna est quâ Numen sanctissima jura violata vice suâ ulciscatur. Cui sors armorum in campo pepercit, hunc subitò, nisi longâ flagitiorum consuetudine occalluerit animus, quùm adhùc in manu gladium tenet, invadunt Furiæ, vel potiùs Furiis omnibus terribilior conscientia mordet, angit atque sollicitat, neque ampliùs menti requiem esse sinit. Noctes atque dies ante oculos versatur occisi pallida imago, vulnusque funestum, humusque sanguine recenti madens. Hunc sive in solitudine, sive in hominum conventu, sive in lecto, sive in ambulatione, sive inter convivia, una eademque sine intermissione agitat insectaturque sollicitudo. Quâ plagâ patri matrique natus, uxori conjux, natisque pater est ereptus, sua simul interfectori gaudia perierunt; sua ei ferè vita est erepta, siquidem præter luctum et angores nihil de vitâ

restat. Quid si non civem modò, sed amicum etiam trucidaverit? Quo furore novo percitus ille, dentibus infrendens, gladium adhuc tepidum in se convertit! Properate, ò vos, sceleris testes, scelerisque participes: lethale ferrum cruentis è manibus extorquete, ne crimini crimen adjiciat, ne anima scelerata supremi judicis iram sententiamque tremendam tam citò adeat. Si non omnem penitùs humanitatem exueritis, videte qualis sit honos iste quo tàm superbè gloriamini. Quanto nunc horrore vestras ille exsecratur opiniones, qui sic insanabilibus malis est profligatus atque immersus! Quàm nunc insanos hominum futilium sermones atque jocos perferre vellet, dummodò paululùm hebescerent stimuli qui animum effodiunt! Exemplo tàm funesto alienisque doloribus moniti, vos saltem intelligite non hominibus fuisse concessum æternas conscientiæ leges ad suas libidines accommodare, neque, quantumvis speciosa ad scelus honorandum usurpentur vocabula, divinas præscriptiones immutari, aut supplicium à nocentibus vitari posse.

Fas autem omne versum sit atque nefas; nulla sit Numinis aut patriæ humanitatisve legibus ob

temperatio ; continuis insuper dilanietur animi morsibus interfector, miserrimamque vitam trahat, modò vindicetur injuria aut recuperetur honor. Si verò , quidquid sanctissimi est inter homines, ab hoc *duellum* longè longiùsque abhorret, haud minùs profectò communi judicio adversatur; quippè quod, seu tanquàm ultionis viam, seu tanquàm læsi honoris recuperationem consideraveris, utrâque ex parte eâdem insulsitate laboret.

Si vindictæ studio flagremus, atque nobis hoc naturaliter insitum permissumque esse putemus ut jure nostris manibus effundatur inimici sanguis, aut si etiam crimen ultrò confessi, nihilominùs odium explere velimus: esto, pereat inimicus, animusque exasperatus invisi sanguinis aspectu leniatur atque satietur. Pereat, ac sentiat moriens quâ manu percussus luce vitâque careat. Hoc jubet ultio : at non ità se res habet quùm ultionis via *duellum* adhibetur. Singularis enim certaminis exitus in fortunâ temerè ponitur ; persæpè etiam alter cum altero sortitur homicidium ; et pugnæ conditio ea est, ut cæcâ aleæ vice jactetur uter paratis armis uti possit ad mortem inermi adversario inferendam. Sic ambiguo casu injuriæ pendet ultio. Pariter fieri potest ut, aut mortem inferam, aut accipiam ; eòque stultitiæ res cessit,

ut, qui injuriâ affectus fuerit, vitæ insuper jacturam ultrò subeat.

Sed incertissima quanquàm, plerumquè tamen tutissima inter cæteras hæc anceps pugnæ via; et in *duello* minimum tunc est periculum, quùm utrinquè pars est vitæ periclitatio, et, mortis salutisque vice alternante, illi qui vexatus est contumeliâ æquè dubium est utrùm victor evadat an victus occumbat. Huic enim sæpissimè mors magis metuenda quàm speranda salus. Nempè vulgò fit ut qui nobis injuriam faciunt, omni turpitudine atque infamiâ vitæ notati (1), nos ad certamen lacessant ob eam tantummodò causam quòd longâ armorum experientiâ, se facili victoriâ potituros confidant, et nullo aut ferè nullo suæ vitæ discrimine, manu cædis peritâ, nos ex destinato trucident (2).

(1) « N'avez-vous point remarqué que les hommes si ombrageux et si prompts à provoquer les autres, sont, pour la plupart, de très-malhonnêtes gens, qui, de peur qu'on n'ose leur montrer ouvertement le mépris qu'on a pour eux, s'efforcent de couvrir de quelques affaires d'honneur l'infamie de leur vie entière ? Est-ce à vous d'imiter de tels hommes ? »

J. J. Rousseau.

(2) « Qui ne se rappelle, sans frémir d'horreur, le duel qui eut lieu entre un officier spadassin et un étudiant en droit ? Le premier cité dans tout Paris pour sa dextérité dans les armes, et la grande habitude qu'il avait acquise dans les duels nombreux qu'il avait proposés, après s'être assuré que le cœur de son courageux, mais jeune et inhabile adversaire, ne battait pas plus fort

Sic civis tranquillus, sanguine abhorrens, armorum rudis, ab injurioso homine petitus, in vitæ periculum veniet, quin etiam vitam ultrò projiciet et gladio cujuslibet sicarii jugulum sponte suâ præstabit ! Et quâ mente ? (vix mihi verisimilia dicere videor) eâ mente ut ab illo se vindicet ! Quid unquàm vecordius ? Quid absurdius ? Jubet ultio injuriam deleri, inimicum pœnâ affici ; ego verò, ut inimicum ulciscar, ut ab eo pœnas exigam, memet illius armis miserè trucidandum objicio ! O singularem hominis prudentiam qui se ultrò inimico exultanti victimam offert, quasi hæc inter ulciscendi vias, esset optimâ, quâ certissimum vitæ periculum est adeundum !

O magis etiàm singularem honoris opinionem, quæ non modò conscientiæ, sed communi etiam

au milieu du danger, l'étend mort à ses pieds, en proférant ces mots : « C'est dommage de tuer un jeune homme aussi brave. » Voilà certes une victoire bien digne d'envie ! Hommes du monde, saluez ce vainqueur.... »

(*Projet de loi sur le duel par* M. Mongalvy.)

Une ville de la Manche a été témoin d'un acte de férocité plus affreux encore. Un jeune homme inexpérimenté dans les armes avait été, pour ainsi dire, traîné sur le terrain par un duelliste habile. Il tire le premier et manque son adversaire. Celui-ci s'approche du jeune homme, et lui mettant sa main sur le cœur, qu'il sent battre avec force : « Pauvre petit cœur !..... « Pauvre petite maman ! » dit-il en souriant. Puis reprenant sa place, il lui perce le cœur d'un coup de pistolet.

omnium sensui repugnat! O singulare illud honoris genus, quod, ex hominis contumeliosi ac probrosi injuriis, in viro honesto imminuitur, atque *duello* deindè reparatur, aut huic omninò perit qui contra Numen aque rationem peccare recusat!

Verus honos nullo modo ab honestate abhorrere potest, quæ in exsequendis omnibus hominis ergà Deum atque cœteros homines officiis est posita. Ipsâ nititur conscientiâ, cujus præcepta æterna manent, quæque sola quid fas aut quid nefas, quid deceat aut quid non, dijudicat; neque ille pro tempore atque loco, alius Athenis, alius Pasiis, alius aliâ civitate, prout vanæ fluxæque poscent opiniones, immutatur. Quid autem communitatis habet cum rectæ conscientiæ testimonio laus ista quæ ex hominis cæde nascitur? Aut quî fieri possit ut ille, qui civem occidere recusat, in culpâ sit, atque leges honoris violet, dùm conscientiæ legibus fideliter inservit? Quòd vir bonus contumeliis ab homine malo lacessitus fuerit, nùm ideò ignominiâ dignus erit? Aut quòd homo malus virum bonum ad pugnam provocaverit, et trucidaverit, nùm ideò vir bonus ipse fiet? Nùm istud unquàm est admittendum, audaciam scilicet mortisque contemptum omnium virtutum loco jure haberi; omnia publicæ privatæque vitæ officia gla-

diatoriâ arte suppleri ; hominem quemlibet è mendace verum, ex injusto justum, ex improbo probum, è fraudulento candidum et sicerum subitò evadere, simul atque armorum scientiam callet ; injuriamque, utercumque occumbat, planissimè deleri ? Quia *duellum* Miltiadi, Cimoni, Aristidi, Regulo, Catoni fuit ignotum, nùm honorem verum illis ignotum fuisse dixerimus ? Quòd si quis contenderit, temporum atque locorum, quùm de honore atque ultione agitur, rationem esse habendam (1), quid inter Italos, quid inter Japones (2) faciet ? Insidias ne inimico parabit, illumque aversum pugione percutiet ? Aut

(1) « D'autres temps, d'autres mœurs, je le sais ; mais n'y en a-t il que de bonnes ? et n'oserait-on s'enquérir si les mœurs d'un temps sont celles qu'exige le solide honneur ?.... Reste à savoir si, quand il s'agit de sa vie ou de celle d'autrui, l'honnête homme se règle sur la mode, et s'il n'y a pas alors plus de vrai courage à la braver qu'à la suivre. Que ferait à votre avis, celui qui s'y veut asservir, dans des lieux où règne un usage contraire ? A Messine ou à Naples, il irait attendre son homme au coin d'une rue et le poignarder par derrière. Cela s'appelle être brave en ce pays-là ; et l'honneur n'y consiste pas à se faire tuer par son ennemi, mais à le tuer lui-même. »

J. J. Rousseau.

(2) « Au Japon, si l'insulte est un peu grave, il faut que l'offensé et l'agresseur s'ouvrent le ventre sous peine d'infamie. Ainsi, dans quelques circonstances, le poignard est pour un Japonais une arme *obligée*, comme le stylet au-delà des monts, comme en France le pistolet. »

Flotte.

sibi ventrem cultro ipse aperiet atque effodiet? Hæc demùm sunt, illos inter populos, fortitudinis specimina; hæc honor postulat; hæc laudantur, ultionisque viæ usurpantur ab eodem, apud eos, hominum genere quod, apud nos, *duellum* laudat et illud ultionis viam usurpat. Sic quùm conscientiæ vox semel neglecta fuit et compressa, in errores varios animi obcæcati rapiuntur; undè tanta persæpè morum est insulsitas, ut hanc illi solummodò non intelligant, quos educatio prava ac libidines à rectâ viâ deduxerunt. At vir sapiens, quùm de sanctissimis agitur officiis, non temerè moribus inservit; certiore duce melioribusque auspiciis utitur. Illi, si fortassè hominum subeunda sit contemptio, ab aliis contemni, dùm rectè agit, qàm à se ipso, dùm crimen admittit, potiùs videtur. Sed quid de contemptione loquor (1).

(1) « Mais il est faux qu'à s'abstenir du duel par vertu l'on se fasse mépriser. L'homme droit, dont toute la vie est sans tache, et qui ne donna jamais aucun signe de lâcheté, refusera de souiller sa main d'un homicide, et n'en sera que plus honoré. Toujours prêt à servir la patrie, à protéger le faible, à remplir les devoirs les plus dangereux et à défendre, en toute rencontre juste et honnête, ce qui lui est cher, au prix de son sang; il met dans ses démarches cette inébranlable fermeté qu'on n'a point sans le vrai courage. Dans la sécurité de sa conscience, il marche la tête levée, il ne fuit ni cherche son ennemi, on voit aisément qu'il craint moins de mourir que de mal faire, et qu'il redoute le crime et non le péril. Si de vils préjugés s'élèvent un instant

Si quis fideli constantique animo publicis privatisque simul perfunctus sit officiis ; si qualis esse debuit, talem se semper, vitæ etiam cum periculo præstiterit ; atque, quotiescumque fuerit occasio, se virtutem pluris quàm vitam facere, palàm ostenderit, ille non modò non contemnetur, sed etiam, quòd, à crimine abhorrens, manus suas civis sanguine cruentare recusaverit, atque vanas spernendasque hominum opiniones ipse spreverit, majorem sibi gloriam ex omnium bonorum existimatione parabit (1).

Nisi nobis, in hâc philosophicâ thesi, philosophicis duntaxat argumentis, id est, solo rationis lumine comparabilibus, esset utendum, alia insuper contrà *duellum*, è Christianæ fidei docu-

contre lui, tous les jours de son honorable vie sont autant de témoins qui les récusent, et dans une conduite si bien liée on juge d'une action sur toutes les autres. »

J. J. Rousseau.

(1) « Turenne ayant été appelé en duel par un autre officier, lui répondit : « *Je ne sais pas me battre en dépit des lois ; mais « je saurai aussi bien que vous affronter le danger, quand le devoir me le permettra. Il y a un coup de main à faire, très-utile « et très-honorable pour nous, mais très-périlleux : allons demander à notre général la permission de le tenter, et nous « verrons qui des deux s'en tirera avec plus d'honneur.* » Celui qui avait proposé le duel, trouva le projet si périlleux en effet, qu'il refusa de soumettre sa valeur à une pareille épreuve. »

(*Morale en action.*)

mentis, suggererentur argumenta, cùm mos iste præsertim ac etiam solummodò versetur illos inter populos qui se Christianos esse profitentur; nec quidquam religionis Christianæ præceptis alienum sit magis quàm hic honos, quo impellente, singularia conseruntur certamina. Illa veniam injuriarum, hic ultionem jubet; illa mansuetudinem patientiamque commendat, hic virum illum infamem declarat qui, acceptâ injuriâ, non irâ inflammatus fuerit; illa humilitate, hic superbiâ nititur, quandoquidem eum, si planè perspexeris, nihil aliud esse invenias nisi superbiam ipsam, cui quædam accedunt leges ac rationes ad libidinem hominum accommodatæ. Sed quia non est hìc locus pluribus verbis, in hoc probationum genere, commorandi, sat nobis videbitur, si ostenderimus *duellum*, quâcumque ex parte illud consideraveris, non modò conscientiæ, sed etiam communi hominum sensui repugnare.

Hanc thesim dilucidare ac tueri conabitur, ad Doctoris gradum promovendus FRANCISCUS-GABRIEL BERTRAND, *in Facultate Litterarum Licentiatus, et in Regio Cadomensi Collegio Professor, die mensis Julii quartâ, ab horâ meridianâ ad secundam post meridiem, anno* 1829, *in ædibus Academicis.*

Legi et perlegi, die 26ª Junii 1829,

DE LA RUE,

DECANUS.

Hanc thesim, ut typis mandetur, comprobavit Regiæ Cadomensis Academiæ Rector, die 28ª Junii 1829,

JAMET,

RECTOR.